

Act. 15.

32

DE
BANNO CONTVMACIAE

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. XX. FEBRVAR. AN. CICLOCCCLXXXI

P R A E S I D E

D. IOH. THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMÆ IN

PROVINCIA CVRIAÆ ASSESSORE ATQVE

ANTECESSORE

AD DISPV TANDVM

PRÓPOSVIT

ERNESTVS FLORENS FRIDERICVS
CHLADENI VS

VITEBERGENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA HOLLIL

BVINO CONTUMACE

SCULPTA

EX LIBRIS M. G. H. GÖTTSCHE

1720. 1721. 1722.

D. IOH. THEOPHILUS SEEERO

1723. 1724. 1725. 1726.

1727. 1728. 1729. 1730.

1731. 1732. 1733. 1734.

1735. 1736. 1737. 1738.

1739. 1740. 1741. 1742.

1743. 1744. 1745. 1746.

1747. 1748. 1749. 1750.

1751. 1752. 1753. 1754.

1755. 1756. 1757. 1758.

1759. 1760. 1761. 1762.

1763. 1764. 1765. 1766.

1767. 1768. 1769. 1770.

1771. 1772. 1773. 1774.

1775. 1776. 1777. 1778.

1779. 1780. 1781. 1782.

1783. 1784. 1785. 1786.

1787. 1788. 1789. 1790.





DE
BANNO CONTVMACIAE


Instituti ratio



VAMVIS haec iuris publici materia, quam mihi
sumo explicandam, per seculum et ultra ex sum-
mis imperii Romano-Germanici tribunalibus proscripta
sit, tamen non vereor, ut quispiam suspicetur, eam plane
nullam amplius ab utilitate commendationem praeferre.

A

Imo



Imo confido, assensum humanissimilectoris me esse obtenturum, si afferam, eam adhuc esse utilissimam. Quidni enim hanc laudem tribuam legi, quae non solum per secula in Imperio viguit, atque ex antiquissimis Germanorum moribus ducta est, sed etiam post abrogationem ad explicantas imperii leges, quae adhuc vigent, multum conduceat. Scilicet in Capitulatione Augustissimi Imperatoris Iosephi II. denuo sanctum legimus ^{a)}: dass, soviel das BANNVM CONTVMACIAE betrifft, solches, als ein aus vielen Considerationen unzulaessiges Mittel, gar abgethan, und es in ciuilibus causis auch bey den ciuilibus coercendi et compellendi mediis bewenden solle. Itaque iudicauit, facturum me esse operae pretium, si ad meliorem huius loci intelligentiam de banno contumaciae quaedam differere instituerem. Nimirum bannum imperii in duas abit species: aliud est BANNVM DELICTI, quo violatores pacis publicae plectuntur, aliud BANNVM CONTVMACIAE, quod olim a iudiciis imperii decernebatur, si quis in ius legitime vocatus non comparsisset, cui describendo iam inhaerebo.

B.

^{a)} Capit. Imp. nouiss. art. 20. §. 12.

II

De origine banni contumaciae

ORIGO banni contumaciae ab antiquissimis temporibus repetenda esse videtur. In lege Salica et Baiuvariorum iam vestigia eius occurunt. Audiamus ipsa legis Salicae ^{a)} verba: *De ceteris vero causis, unde quis rationem est redditurus, si post secundam comitis admonitionem aliquis ad malum venire noluerit, rebus eius in BANNVM MISSIS venire et iustitiam facere compellatur.* Quam legem ECCARDVS EX HEROLDI ET VVENDELINI editione recentet ^{b)}, ubi illi inscribitur: *de despectionibus, vox contemnum iudicii seu contumaciam denotans* ^{c)}. In lege Baiuvariorum a rege Ludouico est constitutum ^{d)}, vt, *si quis dux de prouincia illa, quam rex ordinauerit, tam audax, aut* CONTUMAX, *aut levitate stimulatus, seu proterius, et elat-*

A 2


tus,

^{a)} apud LINDENBROGIVM in Cod. LL. antiqu. pag. 355. Conf. ECCARDVM de lege Salica a Carolo M. emendata cap. LIX pag. 101.

^{b)} ECCARDVS libr. cit. p. 102.

^{c)} DV FRESNE in Glossar. med. et inf. latin. sub voce: DESPECTIO.

^{d)} in lege Baiuvariorum lib. II. cap. 9. apud LINDENBROGIVM in Cod. legum antiqua. p. 400.



tus, vel superbus atque rebellis fuerit, qui decretum regis contemperit, DONATV DIGNITATIS IPSIVS DVCATI CREAT, etiam et insuper spem supernae contemplationis sciat se esse condemnatum, et vim salutis amittat. Quia quidem barbara oratione nihil aliud contineri videtur, nisi banni ob contumaciam vel depulsionis de ducatu comminatio, bannum etiam ecclesiasticum, nisi proscriptus gratiam regis tempestive meruerit, comitem habiturae. Fuit enim haec imperii atque ecclesiae vetusta coniunctio et concordia, ut e regno exesse iussi, nisi intra annum reciperentur, etiam ab ecclesia repellerentur ^{e)}). Antiquum etiam esse in iudiciis imperii modum coercendae contumaciae per declarationem banni, non solum exempla, quae mox commemorabo, sed etiam scriptores passim comprobant. Quo respicit perillustris L. B. DE HARPRECHT, cum ex priscis historiarum monumentis animaduertit: ^{f)} Der Ungehorsam gegen den hoechsten Richter war besonders verhaft, die heut zu Tage üblichen Proclamata, das soge-

namte

e) cf. B V A T I V S: *Originum libr. X.*
cuius plurima pars a cap. XI, inde
de hoc pertinet.

f) in Staatsarchiv des K. und des
H. R. R. Cammergerichts parte, I.
pag. 92.

namite Ruffen hat einen ueralteten Ursprung. Das dritte Hofgericht war ein Ustig, wer in Ungehorsam bis dahin beharrte oder mangelhaft erschien, solcher hatte denn unfehlbar den Verlust der Haupsache und darauf den Bann zu gewarten. Extantiora banni contumaciae exempla nobis occurunt sub imperatore Friderico I. qui adeo Henricum Leōnem ^{a)}, cum ter citatus non comparuissest, proscriptum ducatu suo priuauit. Eundem imperatorem Terdonenses semel et iterum in ius vocatos et comparitionem semper recusantes banniuisse, ACERBVVS MORENA ^{b)} refert, et Mediolanenses eandem ab causam ab ipso esse proscriptos GVNTHERVVS ita exprimit ^{c)}:

*Ne tamen Augusto quidquam sub principe certo
Ordine non fieret, rursus tribus esse citandos
Edictis Ligures, iuris suasere periti.
Quae postquam tumida spreuerunt mente superbi,
Curia DAMNATOS REGNI denominat HOSTES.*

A 3

Nec

g) OTTO DE S. BLASIO cap. 24.

in VRTISH script. rer. Germ. pag.

209. ARNOLDVS LVRECENT-

SIS in Chron. Slav. cap. 24. apud

LEIBNITIVM in Script. rer.

Brunsf. tom. I. pag. 644. GODE-

FRIDVS MONACHVS ad anni.

1178—1181.


b) ACERBVVS MORENA de reb.

Laudens; in LEIBNITII Scriptr.

rer. Brunsf. tom. I. pag. 810.

c) GVNTHERVVS in LIGURINO lib. I.

vers. 188. seq.



Nec omni ratione destituitur opinio perillustris L. B. DE ZECH, qui priscais temporibus, antequam expressae leges violatoribus pacis scriberentur, nullam praeter contumaciam existimat fuisse causam proscriptionis ⁴⁾). Qua ratione criminum reis, qui se in iudicio publico non stitissent, exilium saepe et poena et perfugium fuit.

III

Modus procedendi ratione banni contumaciae.

ACCVRATIVS demum norma, secundum quam in decernendo banno contumaciae erat procedendum, in Ordinatione Camerali est definita ⁴⁾. Nimirum tres patabant viae procedendi contra reum contumacem, e quibus commodissimam actor eligere posset. Vel enim ad bannum contumaciae, vel ad immissionem ex primo et secundo decreto, vel denique in causa principali procedi

poterat.

4) in dissertatione *de proscriptione statuum imperii* §. 16. Adde ilustrissimum EVATIVM, Originum lib. X. cap. XXI. §. IX. id ipsum argumentum mirifice illustrantem.

ORD. CAM. part. III. tit. 52. §. 1. 2. 3. et part. III. tit. 57. §. 5. 6. 7. 8. BLVMIVS in process. Cam. tit. 66. art. 52. seq.

poterat. Quod si actori ad bannum contumaciae procedere placeret, reus iterum citandus erat ad videndum se declarari in bannum, aut ut iustis exceptionibus se contra illud defenderet, atque si denuo contumax inueniretur, tunc praevio proclamate, (*Ruffen*)^{b)} post sex iuridicas bannum contumaciae codem modo eademque formula, qua bannum delicti, contra ipsum pronunciabatur. Quo facto licebat actori certa bona banniti rei nominare et immisionem in illa solemni formula^{c)} petere, quae demum, re ad imperatorem relata, ex speciali eius lege^{d)} decerni solebat, nisi reus publicationem decreti praeuenisset parento, eoque ab omni periculo banni se exsoluisset.

III

^{b)} Quo ritu fiat DAS RUFFEN,
describit BLVMIVS in proc. Cam.
tit. 66. §. 22. seq.

Commergericht Staatsarchiv pars:
I. pag. 97.

^{c)} Formulam supplicae, qua immis-
sio in bona banniti peti solebat,
habet BLVMIVS in Supplicat.
Cam. pag. 449. et perill. DE HAR-
PRECHT in des K. und H. R. R.

^{d)} Perill. DE HARPRECHT im
Staatsarchiv part. I. pag. 92.

^{e)} CASPAR KLOCKIVS in derif.
Cam. relat. 107. n. 53.

III

*Quatenus conueniat bannum contumaciae cum
banno delicti, et quomodo alterum ab altero
differat*

IN plerisque eadem fere erat ratio banni-contumaciae, quae erat in banno delicti^a). Scilicet eadem requirebantur solemnitates^b), eadem erat pronunciandi forma, iidem fere effectus, cum Ordinatio Cameralis nullum his in rebus inter utrumque bannum constituerit discriminem. Quisque vel ob contumaciam, vel ob delictum proscriptus habebatur pro hoste imperii, cum verba condemnationis sint eadem, scilicet vim diffidationis continentia. Ex vtroque banno condemnatus habebatur pro ciuiliter mortuo^c), et a quo quis impune poterat occidi^d). Adsunt tamen quae-dam inter vtrumque bannum differentiae^e). Bannum

contu-

a) GYLMANNVS in *Sympbor.* tom. IV. Part. I. pag. 281. n. 7.

GAILIVS de pace publica lib. II. olsf. 12. n. 3.

b) Solemnitates in banno decernendo necessarias legimus in ORD. CAM. part. III. tit. 50. §. 5. et 6.

c) GYLMANNVS in *Sympbor.* tom. III. pag. 56.

d) GYLMANNVS in *Sympbor.* tom. II. part. II. pag. 123. n. 36.

e) GYLMANNVS in *Sympbor.* tom. II. part. II. pag. 92. n. 79.

contumaciae locum habebat etiam in CIVILIBVS causis,
bannum delicti tantum in CRIMINALIBVS: decretum banni
contumaciae erat INTERLOCVTIO, decretum banni
delicti ipsa SENTENTIA, et publici iudicij exitus. In EXE-
CVTIONE^{f)} etiam obseruatum discrimen, quod post
bannum contumaciae necessaria fuit immisso in bona^{g)},
pronunciato autem banno delicti ea non requisita statim post
dictam sententiam publicantur bona proscripti. Maximum
vero discrimen utrumque intercedebat ratione ABSOLV-
TIONIS. Proscriptus ob contumaciam solo iudicij Ca-
meralis arbitrio, si contumacia solutione eius, quod in-
tererat, purgata erat, etiam inuita altera parte, poterat ab-
solui^{h)}, sed bannum delicti non sine aduersarii, et in cau-
sis grauioribus non sine Imperatoris consensu relaxari de-
bebat. Bannitis ob contumaciam cum aduersario suo de-
eo, quod ad purgandam contumaciam esset soluendum,

ip[s]o

trans-

f) Collegit differentias GAILIVS
de pace publica lib. II. cap. 6.

b) ORDINATIO CAMELA
part. III. tit. 53. §. 3. et tit. 59.
§. 7.

g) GAILIVS *de pace publica pag. 339.*

B

* * * * *

transigere licuit ¹⁾). Quocum si non conueniret, Camera interponebat arbitrium suum. His peractis et soluto a contumace, quod ei iniunctum erat, sequebatur iudicialis a banno contumaciae absolutio, et omnia ob bannum ablata, in eo statu, quo reperiebantur, exceptis fructibus consumatis et perceptis absoluto restituebantur. Soli procuratori Caesaris vel fisci cum bannito ob contumaciam non eadem transigendi, aut quicquam ab eo, solutionis nomine accipiendi fuit facultas, nisi per sententiam poena aliqua illi esset adiudicata ²⁾), quod tamen RVTGERVS RVLANDVS aliter usu receptum fuisse, et in causa *Hans Jacob Hunden von Drinkamp contra die Breuzling* illi ob contumaciam proscripto a deputatis iniunctum esse refert, ut fiscali centum thaleros solueret. Quicunque vero in bannum delicti erant declarati, non solum cum aduersario, sed etiam cum fisci tenebantur transigere, si vellent ab-

solui.

¹⁾ MYNSINGER Cent. V. obs. III.

cap. 72. n. 5. RVTGERVS RVL

²⁾ CHRISTOPH. SCHVAN-

UANDVS de commiss. Cam. Imp.
Part. IV. lib. 7. cap. 1. n. 35.

MANN in proc. Cam. lib. I.

folui. Quod hodieque in Hollandia vnu venit, vbi ob varia criminum genera, in primis ex causa contumaciae relegati non prius restituuntur, quam re cum laeso aut hereditibus occisi composita. Digni sunt, qui ea de re legantur IOANNES VOETIVS et ANTONIVS MATTHAEVS. Sane etiam multa Hollandi ex priscis nostris moribus in publicis suis iudiciis seruant.

V

*Exempla banni contumaciae ante eius
abrogationem*

SAEPISSIME contumaces hac proscriptione fuisse notatos, varia, quae passim occurunt, exempla demonstrant. Nonnulla recensuisse iuuabit. Sic Henricum Leonem, Mediolanenses et Terdonenses ab imperatore Friderico I. ob contumaciam fuisse proscriptos iam antea memoraui, sic et anno 1324. aduersus Tylmannum de Kufen, qui post trinam citationem venire recusauerat, bannum et

HISTORIÆ
POLONIAE
ET
SACRAE

immisso in bona est decreta^a). Eandem aduersus urbes Bremam et Erfurtum proscriptionem suisse decretam, MVLTZIVS refert^b), et Quedlinburgenses anno 1445. legimus ob contumaciam in bannum suisse declaratos^c). Varias praeterea apud sententiarum Cameralium collectores reperimus sententias, quibus bannum contra contumaces est pronunciatum. Ultimum huius banni exemplum in Imperiali Camera BLVMIVS anno 1641. extitisse testatur^d).

VI

SACRAE

a) L. B. de HARPRECHT in
Staatsarchiv des Cammergerichts,
part. I. pag. 97. et 98.

b) MVLTZIVS in representatione
maiestatis imperatoriaie, pag. 838.
n. 2.

c) L. B. de HARPRECHT in St.
A. des Camm. Ger. part. I. §. 58.

KETTNER in *Antiqu. Quedlinb.*
p. 497. Sententia legitur in
LÜNIGS Reichsarchive part.
Spec. Cont. IV. part. II. pag.
677.

d) BLVMIVS in *Sent. Cam. num.*
426.

VI

Abrogatio banni contumaciae


NIMIA huius animaduersonis seueritas tandem efficit, vt iam anno 1531. dubitationes orirentur in iudicio Cameræ^a), an in banno contumaciae eodem modo sit procedendum, atque in banno delicti, quae licet propositae fuerint visitatoribus Camerae, nullam tamen habuerunt vim, ad abrogationem huius banni promouendam. Obtinuit igitur hic modus coërcendi contumaces usque ad annum 1654. quo tandem per recessum imperii nouissimum e foris Germaniae supremis penitus est exterminatus. Constitutum enim in eo legitimus^b): *dass, wenn das Ruffen erkandt, dem Klaeger nach Verfleissung der sechs Iuridicarum zugelassen seyn solle, gegen den VNGEHORSAMEN und NICHT ERSCHEINENDEN Antworter in contumaciam*

B 3

(jedoch

a) L. E. de HARPRECHT in St. A. des Camm. Ger. part. V. pag. 257. n. 6.

b) Recessus imperii nouissimus §. 30.



(jedoch mit HINFÜRIGER AUFHEBUNG der bisherigen gebrauchlichen zwey Wege, entweder auf die POEN DER ACHT, oder Immission ex primo et secundo decreto zu procediren) in der Hauptſache ordentlicher Weife bis zu Ende nach Belieben, allermassen in der Ordnung part. III. tit. 43. verſetzen worden, zu verfahren. Conuererunt deinde tria statuum imperii Germanici collegia, ut Proiecto Capitulatio-
nis Caesareae perpetuae prohibitio banni contumaciae his
verbis infereretur ^{c)}: dass ſelliges als ein aus vielen Conſiderationen unzulaengliches Mittel gar abzuthun, und es in ci-
vilibus cauſis auch bey denen ciuilibus coercendi et compellendi
mediis zu laſſen. Quae prohibitio banni contumaciae de-
inde in Capitulationem Caroli VI. eft translata, et in re-
centiorum Imperatorum capitulationibus usque ad noſtra
tempora reperitur ^{d)}. Dubitari vero poſſet, utrum verba
recessus imperii nouiflmi ^{e)}: Wenn ſich einer der Execution,

ſo

^{c)} in conſtitutione III. de modo de-
clarandi statum imperii in ban-
num, ad art. 20. Proiecti Capi-
tulationis Caſareae, in fine.


^{d)} Capit. Imp. art. 20. §. 11.

^{e)} Receff. imp. nouiff. §. 161.

so von einem Reichsgerichte befoblen, VVIEDERSETZT, der
 solle in POENAM BANNI gefallen seyn, de banno delicti, an-
 de banno contumaciae sint intelligenda. Videtur magis
 de banno delicti sermo esse, cum bannum contumaciae in
 eodem recessu Imperii iam fuerit sublatum. Attamen illu-
 stris SELCHOVIVS ad Schmaußium animaduertit ^{f)}: diese
 Strafe falle nunmekro meg, und müssen wenigstens die in den
 jüngsten Wahlcapitulationen art. 20. vorgeschriebenen Unter-
 suchungen vorhergegangen seyn. Vnde facile colliges, Vi-
 rum illustrem hunc locum recessus imperii de banno con-
 tumaciae explicare, tametsi ipse videtur dubitare, cum ad-
 dit: VVENIGSTENS müssen die in den jüngsten Wahlcapitu-
 lationen vorgeschriebenen Untersuchungen vorhergegangen
 seyn.

VII

f) SELCHOV. ad Schmauß. Compendium iuris publici, lib. II. cap. XI. §.
 39. nos. q.



VII

*Exempla banni contumaciae post eius
abrogationem*

QVAMVIS vero bannum contumaciae anno 1654. sit abrogatum, memorabile tamen occurrit exemplum declarationis in bannum imperii contra *Waltherum Counotte* in Camera anno 1698. publicatae, ob eius contumaciam in non facta renunciatione prouocationis ad Curiam Romanam, quae, cum causa civilis esset, per mandata ei fuisset iniuncta ^a). Cuius rei mentionem etiam facit IOANNES PETRVS de LVDEVVIG ^b), verbis: *das allermerkmärdigste und beherzteste Verfahren ist anno 1697. c) vorge-*

gangen

^{a)} DE LVDOLF in *iure Camerali*
pag. 60.

^{b)} DE LVDEVVIG in *Haellischen Anzeigen ad ann. 1737. part. II. n. 112.*
§. 42. Addit in nota 4: *Die Historie dieses Processes ist in öffentlichen Druck unter dem Titel gekommen: Iustitia declarationis in bannum facta in Camera imperiali pronuntiatae causae Motte*

et Consorten ab una, Walther Counotte ex altera parte. Wezlar.
1697. 4. Meminit etiam DE LVDEVVIG huius exempli in der Erläuterung der güldenen Bulle tom. I. tit. 8. §. 1. pag. 793.

^{c)} Annus differt. DE LVDOLF hat annum 1698. et DE LVDEVVIG annum 1697. Scriptum etiam prodiit anno 1697.

gangen. Denn als Walther Counotte in einer Erbschaftsfache nach Rom appelliret; hat das Kayserliche Cammergericht den frevelhaften Appellantem gar in die Reichsacht gethan, wus gescheben, cassiret; und vor null und nicktig erklaert. Modo laudatus DE LVDEVVIC non decidit, utrum fuerit bannum delicti, an contumaciae. Videtur, bannum delicti ob recursum ad curiam Romanam fuisse irrogatum. Sed LVDOOLFVS, qui ipse assessor Camerae imperialis fuit, testis est, ob contumaciam hoc bannum fuisse pronunciatum^{a)}). Etiam iudicium prouinciale Sueicum post Recessum imperii nouissimum banno contra contumaces processisse, sed hoc ipsi a iudicio imperii aulico esse interdictum legimus^{b)}). Sed potuit etiam bannum contumaciae quibusdam in causis post eius abrogationem iure decerni. Sic BLVMIUS affirmat, si via quaedam abrogata ante Recessum imperii novissimum iam inita fuerit, etiam bannum contumaciae vel immisionem ex primo et secundo decreto possea potuisse decerni, atque adeo anno 1655. adhuc immisionem ex primo

decre-

^{a)} DE LVDOOLF loco citi

^{b)} MÖSERS Grundriss der teutschen Staatsverfassung pag. 377.



= = = = =

decreto in causa *Quast contra Abraham* esse decretam, quae ante Recessum anni 1654. esset petita. Idem BLVMIVS autor est, contra tutores et curatores contumaces banno vel immis-
sione procedi posse, quia contra hos in causa principali ne-
queat procedi ^{f)}). Quod quanquam meum non faciam ob
generalem banni contumaciae abrogationem, non possum
tamen silentio praetermittere, quod praeter ANDREAM
CHRISTOPHORVM SCHNEIDERVM ^{g)} etiam nouissimus
scriptor JOSEPHVS ANTONIVS BVERIKHLE ^{h)} de or-
dine iudiciorum coram tribunali Sueuico in Quadrurbe
commemorat, ter citatum, nec comparentem hodieque
proscribi, atque si iterum non compareat, iterari proscriptio-
nem, iteratam autem sequi literas inhibitorias, indicatio-
nem bonorum proscripti ab usu campanae *Anhaltin* dictam,
deinde euictionem ac possessionem, (*Gewehr und Inha-*
bung)

f) BEVMIVS in *processu Camerali*
tit. 66. art. 53. sequ.

g) de *Processu iuris et indicij pro-*
vincialis Sueuici. Francof. ad
Moen. 1689. et Vlmae 1723.

h) des freyen Kaiserlichen Lände-

riches in Ober- und Niederschwa-
ben gerichtlicher Proces, Francof.
ad Lipsiae 1742. De eodem iudi-
cio conferendus est IO. PETRVS.
DE LVDEVIG de Sueviae Tri-
bunali S. R. I. Austriaco in Qua-
drurbe. Halae 1725.

lung) et literas tutelares. Ne dicam, singulari eius iudicij more victimum etiam, nisi admonitus iudicatum faciat, domicilio eiici, notari infamia, usu sacrorum excludi et bona eius annotari, huncque poenae modum proscriptionem appellari.

VIII

Quaedam observationes de banno contumaciae in iudicio Rothvilenſi

SANE banni contumaciae ante recessum imperii novissimum non tantum in iudicio Camerali, sed in caeteris etiam imperii iudiciis decreti complura occurunt vestigia. Iudicio aulico Rothvilenſi expressis verbis in Reformatio-
ne Rothvilenſi ^{a)}) modus procedendi ratione banni contumaciae fuit praescriptus, et sententia banni in hoc iudicio pronunciata eandem vim habuit, ac si in iudicio Cameræ esset decreta. Proscriptus itidem pro hoste imperii habi-
tus, cum nec reformatio Rothvilenſis, nec ordinatio Ca-

C. 2

mera-

^{a)} REFORM. ROTHVILE. pars. III. tit. 14. et 15. et pars. II. tit. V. conf.
VVEHNERVS. ad b. l.

meralis vis atque efficacie causa faciat discrimen inter bannum delicti et bannum contumaciae ^{b)}, et in utroque banno eadem damnationis formula diffidationem expresse contineat. A VVEHNERO ^{c)} ventilata est quaestio, an, si a banno contumaciae, quod in iudicio Rothwilensi esset decreatum, quis appellauerit iudicium Cameracae, et in hoc prouocationis iudicio fuerit absolutus, auocatio causae a iudicio Rothvilensi locum habeat? Sed GYLMANNVS existimat, eam non habere locum, reique sic iudicatae exemplum adducit in causa nobilium de Rees contra dominos de Schoenburg die 10. Iun. 1587. ubi executio causae Rothvilensibus esset reliqua ^{d)}.

^{b)} GYLMANNI Symphor. tom. IV. part. III. tir. 14.

part. I. vol. 35. n. 8.

^{c)} GYLMANNI Symphor. tom. III. pag. 123.

^{d)} VWEHNERVS ad Ref. Rothv.

pag. 123.

VIRO ILLVSTRI ET MAGNIFICO
ERNESTO MARTINO
CHLADENIO
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS
IN AVLAE ET IVSTITIAE REBUS VERO
CONSILIARIO CONSISTORII ECCLESIASTICI ET
DICASTERIORVM QVAE VITEBERGAE SVNT
SCHOLAE QUE IVRIVM IBI FLORENTIS
DIRECTORI SAPIENTISSIMO

S. P. D

IOH. THEOPHILVS SEGERVS

Cum *TVVS* mibi Filius, *WIR ILLVSTRIS*, paternae virtutis felicissimus aemulator, libellum academicum de banno contumaciae tradidit, voluit que me publicae disputationis super eo solum esse, vtor ego tam suauit opportunitate et Filii *TVI*, optimi humanissimi que Inuentis, eruditionem arque omnium liberalium studiorum elegantiam *TIBI*

D

con-

COPPIA
CORPORIS

congratulandi, et nostram maximorum TVORVM vere que immor-
talium in iuris prudentiam meritorum reverentiam publice decla-
randi. Tametsi enim unquam TE coram venerari et profluentes ex
ore TWO doctrinas haurire mihi non contigit, TE unum tamen in
paucis, qui et publico et priuato iure consultissimi sunt atque utraque
dolorina Germaniam ornant, dudum suspexi, quin, crede mihi, homini
non adulanti, ab ineunte aetate, quam iuris diuini atque humani
studii dedi, sapientissimum monitorem praceptorum que habui. Inci-
cideram enim forte in elegantissimum TVVM librum de ambitu iuris
prudentiae elegantioris, et cum natura me ad id genus litterarum
impelleret, exemplum illud boni docti que iure consulti tam pulchri
viuidis que coloribus expressum, ut in eo TE ipsum Themidem que
videre mihi videar, deinde semper obuersatum est animo meo vnic
que ad imitationem propositum. Itaque impense laetus sum Filii
TVI in academiam nostram aduentus, impensus. Eius accessu ad meas
scholas, huius autem libelli oblatione, in quo meum ignobile nomen
cum CHLADENIO, quod virtus TVA splendidissimum reddidit, et
cuius ipse fortiter dignitatem tuebitur, tanopere, ut eius lactitiae
tum ex Filii TVI amore, cum ex opinione cuiusdam existimationis
TVAE qualiumcunque studiorum nostrorum perceptae sensum nulla
eratio assequatur. Ipsum etiam argumentum libelli admodum placet.
Videtur enim auctorati TVAE, quam Filius omnino respexit, con-
venien-

DP

zenientius: esse propter cognationem publici iuris, cuius prob dolor?
studia nimi adhuc apud nostrates frigent, nec satis a nobis antecessori-
bus inflammari possunt. Sunt adeo, qui suam infitiam, ne nomen
iure consultorum immorito gerere videantur, calumniosa iuris publici
relegatione ad historicas scolas obtegere, quin, nescio, quid periculi
ex eius cognitione minari: conentur: veluti quandam iuridicum memini
suo filio, cui ego academicae disputationis materiam ex eo iure
commendaueram, pro patria potestate vehementissime imperare; ne talen
ardelionem ageret, atque ut eiusmodi res Imperatoris et Principum
curae relinquere, allatis etiam bonum insiliciter multatorum exemplis,
quorum ille publice notam et maxime ab infitia ortam vesaniam sa-
pientiam iuris publici appellabat. Sed ut intelligas, VIR SVME-
ME, quid Filius FVVS in hoc genere studiorum profecerit, mibil
ego in libello eius mutauit, et vel ab eo augendo, (quod causis co-
piis afferendis, cur sere sine vi fuerint atque in Suevia etiamnum
sunt contumaciæ banna, cur ea Sueviæ Proceres anno superioris
seculi LXVII. ordinationis iudicii in Quadrubus grauamina com-
monentes præ nouis multarum comminationibus atque exactionibus
retineri maluerint, enarrandis que diuersorum iudiciorum modis
et proscriptorum vitæ ac membrorum integratati, et multib[us] inpri-
mis pudori, prisa castitate, proficiendi, denique redentionum arque
absolutionum variis formulis, rationibus, pretiis exponendis, aut ad-

* * * * *

ziciendis priuilegiorum, quibus nonnullae ciuitates proscriptorum; velat
olim Basilea Sebastiani Schaerlini, apud se commemorationem descendunt,
exemplis commode fieri posuisse) cum eam ipsam ob causam, ut totus
Filius TVI esset, tum ne in molem libri excresceret academica dis-
putatio, calamum meum abstinui. Quidni enim ipsi domino spicile-
gium omne relinquam? Qui projecto co ingenio est, ut praeclara quae-
vis ab eius doctrina et studiis sperare possit res publica, quam ille
ad magni patris exemplum et scriptis ornabit et factis. TV vero
Filius ornamentis diutissime saluus et incolmis fruere, et rem civilim
ac litterariam inprimit que academiam TVAM, cui Deus saueat,
diutissime meritorum T V O R V M splendore illustra! Scripti
Lipsiae d. XII. Febr. an. MDCCCLXXXI




00 A 6448

ULB Halle
002 928 140

3





32

DE
BANNO CONTVMACIAE

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. XX. FEBRVAR. AN. CLXCLXXXI

P R A E S I D E

D. IOH. THEOPHILO SEGERO

EIVSDEM ORDINIS ET SVPREMAE IN
PROVINCIA CVRIAÆ ASSESSORE ATQVE
ANTECESSORE

AD DISPV TANDVM

PROPOSVIT

**ERNESTVS FLORENS FRIDERICVS
CHLADENIUS**

VITEBERGENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA HOLLIL